



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 68. Papæ responsum ad Bessarionis orationem

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæculi. XV

A.G. 1458

§. LXVII.

Oratio Bessarionis ad Papam.

Paulopost Bessarion Cardinalis suo & eorum nomine, qui Rothomagensi fauebant, ad Neo-electum Pontificem conversus, *Laudamus*, inquit, *Pontifex Maxime*, assumptionem tuam, quam ex Deo esse non dubitamus: & sane dignum te hoc munere & censuimus antea, & nunc censuimus. Quod autem te non elegimus, id fecit ægritudo tua: nam cum pedibus tægrotares, hoc tantum sufficientiæ tuæ deesse putavimus. Eget enim Ecclesia Viro, qui possit itineribus corpus exercere, & periculis occurrere, quæ a Turcis formidamus. Tu contra quietis eges. Hoc nos ad Rothomagensem traxit: quod si fuisses corpore validus, nullum tibi præferendum existimavimus. At cum Deo placuerit, & nobis placet. Nos te Pontificem veneramus, & de nunc, quantum in nobis est, eligimus, tibi que fideliter serviemus.

§. LXVIII.

Papæ responsum.

Ad hæc Neo-electus Papa respondit: *Existimasti*, o Nicæne! quantum animadvertimus, de nobis longe melius, quam nos ipsi, qui nobis pedum defectum tantummodo attribuisi. Nos imperfectionem nostram latius vagari non ignoramus, defectusque nostros pene innumerabiles esse cognoscimus,

mus, quibus a summo rejicimur Pontificio. Sæcul. XV.
 Merita, quæ nos evehant, nulla scimus: hinc A.C. 1458.
 delatum non amplecteremur honorem, nisi
 vocantis judicium timeremus. Quod enim
 duæ Collegii partes efficiunt, id profecto a
 Spiritu Sancto est, cui non licet adversari.
 Vocationi itaque obedimus divinæ: ac te
 Nicæne, & reliquos, cum quibus sensisti, lau-
 damus. Si conscientiæ judicium secuti, nos
 tanquam insufficientes, non censuistis eligen-
 dos, eritis omnes accepti nobis, qui vocatio-
 nem nostram non isti, non illi attribuimus,
 sed Deo, a quo omne datum optimum, & o-
 mne donum perfectum. Denique positis
 indumentis suis, albam induit tunicam,
 juratisque quibusdam capitulis ante tres
 dies in sacro Collegio editis, in altari col-
 locatur, & rursus a cunctis Cardinalibus
 honoratur, qui successivo ordine pedes
 ejus, manus, genasque osculabantur.
 Hoc facto confestim erupta fenestra, con-
 fluenti populo denuntiatum est, Cardina-
 lem Senensem in summum Pontificem
 electum esse, eumque Pii II. nomen as-
 sumpisse.

§. LXIX.

*Populi Romani lætitia ob electionem
 Pontificis.*

Peracta electione, Æneæ Senensis Car-
 dinalis famuli quantocius illius cel-
 lulam, libros, ac ipsa etiam vasa argen-
 tea

M m 5

tea